VIII. Sequitur illud quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit ut quos mare absorbuerit, ferae dilaceraverint, bestiae devoraverint, terra restituat. Quo ita demum veniatur necesse est ut non de fide resurrectionis, sed de parte dubitetur. Esto enim ut laceratorum corpora non resurgant, resurgunt ceteri; nec resurrectio destruitur si condicio excipitur. Miror tamen cur vel de his dubitandum putent, quasi non omnia quae ex terris sunt in terram redeant et in terram resolvantur. Mare quoque ipsum quaecumque corpora humana demerserit vicinis exspuit unda plerumque litoribus. Quod ni ita esset, difficile, credo, Deo foret dispersa conectere, dissipata sociare, cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elementa, servit natura? Quasi non maioris miraculi sit limum animare quam iungere.

Proof from Fact

IX. Ostendit tibi Dominus etiam in Evangelio, ut iam ad exempla veniamus, quemadmodum resurgas. Non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit; quod tu si credas cum legis, mens quoque tua, quae mortua fuerat, in illo Lazaro reviviscit. Quid enim sibi vult quod Dominus ad monumentum accessit, magna voce clamavit, " Lazare, exi foras," nisi ut futurae resurrectionis specimen praestaret, exemplum ederet? Cur voce clamavit, quasi spiritu non soleat operari, quasi tacitus non soleat imperare? Sed ut illud ostenderet, quod scriptum est, " Quoniam in momento, in ictu oculi, in

Lazarus is called

novissima tuba, et mortui resurgent incorrupti"; tubarum enim crepitus vocis metitur elatio. Et clamavit, "Lazare, exi foras." Cur etiam nomen additur, nisi forte ne alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio quam imperata?

X. Audivit ergo defunctus et exivit foras de monumento, ligatus pedes et manus institis, et facies eius orario colligata erat. Comprehende, si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, inseparabili gressu, separabilique progressu. Manebant vincula, nec tenebant; tegebantur oculi, sed videbant. Videbat denique qui resurgebat, qui ambulabat, qui deserebat sepulcrum. Virtute enim divinae praeceptionis operante, natura suum non requirebat officium; et tamquam in excessu posita, non iam suo ordini, sed divino nutui serviebat.

He comes forth

XI. Nec hoc solum exemplum edidit Dominus noster Iesus Christus, sed alios quoque resuscitavit, ut nos vel exemplis uberioribus crederemus. Resuscitavit adulescentem fletu viduae matris inflexus, quando accessit et tetigit loculum, dicens, "Adulescens, tibi dico surge; et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui." Statim ut audivit, statim resedit, statim locutus est. Alia ergo virtutis gratia, alius ordo naturae.

The Widow's Son

XII. Si miraris haec, disce quis imperaverit, ut mirari desinas. Iesus Christus Dei virtus; vita, lux, resurrectio mortuorum; virtus erexit iacentem, vita gressum extulit, lux fugavit tenebras, reparavit obtutum, resurrectio vivendi gratiam reformavit.

The Divine Power

XIII. Ergo et nostram resurrectionem etsi non credis fide, non credis exemplo, usu es crediturus. Et aliis quidem fructibus, ut viti, oleae, pomisque diversis anni aetas extrema habilis maturandis; nobis quoque mundi consummatio tamquam extremus anni finis accommodam resurgendi praescripsit aetatem. Et bene in consummatione mundi resurrectio mortuorum est, ne post resurrectionem in hoc malum nobis esset saeculum recidendum. Ideo enim Christus est passus ut nos ex hoc malo saeculo liberaret, ne iterum nos huius saeculi tentamenta subruerent, et obesset renasci si renasceremur ad culpam.

Time of the Resurrection

SAINT JEROME

LETTER TO HELIODORUS

I. Quanto amore et studio contenderim ut pariter in eremo moraremur conscium mutuae caritatis pectus agnoscit. Quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu, te abeuntem prosecutus sim istae quoque litterae testes sunt, quas lacrimis cernis interlitas. Verum tu quasi parvulus delicatus, contemptum rogantis per blandimenta fovisti, et ego incautus quid tunc agerem nesciebam. Tacerem? Sed quod ardenter volebam, moderate dissimulare non poteram. Impensius obsecrarem? Sed audire nolebas quia similiter non amabas. Quod unum potuit spreta caritas fecit. Quem praesentem retinere non valuit nunc quaerit absentem. Quoniam igitur et tu ipse abiens postularas, ut posteaquam ad deserta migrassem, invitatoria ad te scripta transmitterem, et ego me facturum promiseram: Invito, iam propera. Nolo pristinarum necessitatum recorderis. Nudos amat eremus. Nolo te antiquae peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, et eius crede sermonibus. "Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia apponentur vobis." Non pera tibi sumenda, non virga est. Affatim dives est qui cum Christo pauper est.

Jerome's Love for Heliodorus

II. Sed quid ago? Rursus improvidus obsecro? Abeant preces, blandimenta discedant. Debet amor laesus irasci. Qui rogantem contempseras forsitan audies obiurgantem. Quid facis in paterna domo, delicate miles? Ubi vallum, ubi fossa, ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de caelo tuba canit; ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus egreditur; ecce bis acutus gladius ex regis ore procedens, obvia quaeque metit, et tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de umbra egrederis ad solem. Corpus assuetum tunica loricae onus non fert. Caput opertum linteo galeam recusat. Mollem otio manum durus exasperat capulus. Audi edictum Regis tui: "Qui non est mecum contra me est; et qui mecum non colligit spargit." Recordare tirocinii tui diem quo, Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti pro nomine eius non te matri parciturum esse, non patri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum quod militaturus acceperas hostilia castra suspirant. Neque vero nescio qua te dicas nunc compede praepediri. Non est nobis ferreum pectus, nec dura praecordia. Et nos per ista transivimus. Facile rumpit haec vincula amor Dei et timor gehennae. At contra Scriptura praecipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat perdat animam suam. "Mater mea et fratres mei hi sunt quicumque faciunt voluntatem Patris mei qui in caelis est." Si credunt in Christum, faveant mihi pro eius nomine pugnaturo. Si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.

A Rebuke

III. Erras, frater, erras, si putas umquam Christianum persecutionem non pati. Cur timido animo Christianus es? Respice Petro relictum rete: respice surgentem de telonio publicanum, statim Apostolum. Filius hominis non habet ubi caput reclinet; et tu amplas porticus et ingentia tectorum spatia metiris? Hereditatem exspectans saeculi, coheres Christi esse non poteris. Interpretare vocabulum *Monachi;* hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es? Et hoc ego, non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum doctus nauta praemoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in litus timida navigaturis voce denuntio. In illo aestu Charybdis luxuriae salutem vorat. Ibi ore virgineo, ad pudicitiae perpetranda naufragia, Scyllaeum renidens libido blanditur. Hic barbarum litus, hic diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum aequor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite. Crucis antemna figatur in frontibus. Tranquillitas ista tempestas est.

A Warning

IV. Sed forsitan dicturus es, "Quid ergo? Quicumque in civitate sunt Christiani non sunt?" Non est tibi eadem causa quae ceteris. Dominum ausculta dicentem, "Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et veni, sequere me." Tu autem perfectum te esse

The Standard of the Monk

pollicitus es. Nam cum derelicta militia tibi temperasti propter regna caelorum, quid aliud quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil praeter Christum habet; aut si quid praeter Christum habet, perfectus non est. Et si perfectus non est cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante mentitus est. "Os autem quod mentitur occidit animam." Igitur, ut concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? Si perfectus non es, Dominum fefellisti. "Qui dicit se in Christum credere debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare."

V. O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides de quibus in Apocalypsi civitas magni regis exstruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in saeculo qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum umbrae premunt? Quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sarcina corporis abiecta, ad purum aetheris evolare fulgorem. Paupertatem times? Sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta caesaries? Sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? Sed tu paradisum mente deambula. Quotienscumque illuc cogitatione conscenderis, totiens in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis,

The worldly Conflict

sed qui in Christo semel lautus est, non illi necesse est iterum lavare. Et ut breviter, ad cuncta audias Apostolum respondentem, "Non sunt," inquit, "condignae passiones huius saeculi ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis." Delicatus es, frater, si et hic vis gaudere cum saeculo, postea regnare cum Christo non poteris.

VI. Veniet, veniet illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem induat et immortalitatem. The last Day Tunc beatus servus quem Dominus invenerit vigilantem. Tunc ad vocem tubae pavebit terra cum populis, et tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua Venus. Tunc ignitus Iuppiter adducetur et cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exsultabis et ridebis et dices: Ecce crucifixus meus, ecce iudex, qui obvolutus pannis in praesaepio vagiit. Hic est ille operarii et quaestuariae filius; hic qui matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Aegyptum; hic vestitus coccino; hic sentibus coronatus; hic Magus, daemonium habens, et Samarites. Cerne manus, Iudaee, quas fixeras; cerne latus, Romane, quod foderas. Videte corpus, an idem sit quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Dilectio tua me compulit ut haec tibi frater dicerem, et ut his interesse contingat, quibus nunc labor durus est aggredere.

LETTER TO EUSTOCHIUM

I. Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctae ac venerabilis Paulae virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate; potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior; Gracchorum stirps, suboles Scipionum, Pauli heres, cuius vocabulum trahit, Martiae Papiriae matris Africani vera et germana progenies, Romae praetulit Bethlehem, et auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit. Non maeremus quod talem amisimus, sed gratias agimus quod habuimus, immo habemus; Deo enim vivunt omnia, et quidquid revertitur ad Dominum in familiae numero computatur.

Paula's Nobility

II. Testor Iesum et Sanctos eius, ipsumque proprium angelum qui custos fuit et comes admirabilis feminae, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui, sed quidquid dicturus sum, pro testimonio eius dicere, et minus eius esse meritis quam totus orbis canit, sacerdotes mirantur, virginum chori desiderant, Monachorum et pauperum turbae deplangunt. Vis, lector, eius breviter scire virtutes? Omnes suos pauperes, pauperior ipsa, dimisit. Nec mirum de proximis et familiola quam in utroque sexu de servis et ancillis in fratres sororesque mutaverat, ista proferre, cum Eustochium virginem et devotam Christi filiam in cuius consolationem libellus hic

Her Merits

cuditur, procul a nobili genere, sola fide et gratia divitem reliquerit.

III. Postquam vir mortuus est, ita eum planxit ut prope ipsa moreretur; ita se convertit ad Domini servitutem ut eius mortem videretur optasse. Quid ego referam amplae et nobilis domus et quondam opulentissimae omnes paene divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum et bonitatem etiam in eos quos numquam viderat evagantem? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? Quos curiosissime tota urbe perquirens, damnum putabat si quisquam debilis et esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, et inter obiurgantes propinquos maiorem se eis hereditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur.

Her Self-denial and Devotedness

IV. Nec diu potuit excelsi apud saeculum generis et nobilissimae familiae visitationes et frequentiam sustinere. Maerebat honore suo, et ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Cumque Orientis et Occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Roman imperiales litterae contraxissent, vidit admirabiles viros Christique pontifices, Paulinum Antiochenae urbis episcopum, et Epiphanium Salaminae Cypri, quae nunc Constantia dicitur; quorum Epiphanium etiam hospitem habuit; Paulinum in aliena manentem domo,

Her Aversion to the World

quasi proprium humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus per momenta patriam deserere cogitabat. Non domus, non liberorum, non familiae, non possesionum, non alicuius rei quae ad saeculum pertinet memor, sola (si dici potest) et incomitata ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat.

V. Tandemque exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, et ipsa voto cum eis ac desiderio navigavit. Quid ultra differo? Descendit ad portum, cognatis, affinibus, et, quod his maius est, liberis prosequentibus et clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur et remorum ductu navis in altum protrahebatur. Parvus Toxotius supplices manus tendebat in litore. Ruffina, iam nubilis, ut suas exspectaret nuptias tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad caelum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera et quasi a suis membris distraheretur; cum dolore pugnabat, in eo cunctis admirabilior quod magnam vinceret caritatem. Inter hostium manus et captivitatis duram necessitatem nihil crudelius est quam parentes a liberis separari. Hoc contra iura naturae plena fides patiebatur, immo gaudens animus appetebat; et amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, quae et propositi et navigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim navis mare, et cunctis qui cum ea vehebantur

She repairs to the Desert

litora respicientibus, ipsa aversos tenebat oculos, ne videret quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amavit filios, quibus, antequam proficisceretur, cuncta largita est, exheredans se in terra ut hereditatem inveniret in caelo.

VI. Quid agimus, anima? Cur ad mortem eius venire formidas? Iamdudum prolixior liber cuditur dum timemus ad ultima pervenire, quasi tacentibus nobis et in laudibus illius occupatis differi possit occubitus. Huc usque prosperis navigavimus ventis, et crispantia maris aequora labens carina sulcavit. Nunc in scopulos incurrit oratio, et tumentibus fluctuum montibus praesens utrique nostrum intentatur naufragium ita ut cogamur dicere, "Praeceptor, salvos nos fac, perimus." Et illud, "Exsurge, ut quid obdormis, Domine?" Quis enim possit siccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in gravissimam valetudinem; immo quod optabat invenit, ut nos desereret et plenius Domino iungeretur. In quo languore Eutochii filiae probata semper in matrem pietas magis ab omnibus comprobata est. Ipsa assidere lectulo, flabellum tenere, sustentare caput, pulvillum supponere, fricare pedes, mollia strata componere, aquam callidam temperare, mappulam apponere, omnium ancillarum praevenire officia, et quidquid alia fecisset de sua mercede putare subtractum. Quibus illa precibus, quibus lamentis et gemitu inter iacentem matrem et specum Domini discurrit, ne privaretur tanto contubernio, ne illa absente

Paula's Illness

viveret, ut eodem feretro portaretur? Sed, O mortalium fragilis et caduca natura, et nisi Christi fides nos extollat ad caelum et aeternitas animae promittatur, cum bestiis et iumentis corporum una condicio est. Idem occubitus iusto et impio, bono et malo, mundo ac immundo, sacrificanti et non sacrificanti. Sicut bonus, ita et qui peccat. Sicut qui iurat, ita et is qui iuramentum metuit. Similiter et homines et iumenta in favillam et cinerem dissolvuntur.

VII. Quid diu immoror et dolorem meum differendo facio longiorem? Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, et frigente alia parte corporis atque membrorum solum animae teporem in sacro pectore palpitare; nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat, "Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae," et "Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini," et "Elegi abiecta esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum." Cumque a me interrogaretur cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid, Graeco sermone respondit nihil se habere molestiae, sed omnia quieta et tranquilla perspicere. Post haec obmutuit, et clausis oculis quasi iam mortalia despiceret, usque ad exspirationem animae eosdem repetebat versiculos, ut quod dicebat vix audire possemus; digitumque ad os tenens, Crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, et anhelabat in mortem, animaque erumpere

Her Death

gestiens ipsum stridorem quo mortalium vita finitur in laudes Domini convertebat. Aderant Ierosolymorum et aliarum urbium episcopi, et sacerdotum inferioris gradus ac Levitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium virginum et monachorum chori repleverant. Statimque ut audivit Sponsum vocantem, " Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea; quoniam, ecce, hiems transiit et recessit, pluvia abiit sibi," laeta respondit, " Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit " et " Credo videre bona Domini in terra viventium."

VIII. Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter saeculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis examina concrepabant. Translataque episcoporum manibus et cervicem feretro subicientibus, cum alii pontifices lampadas cereosque praeferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncae Salvatoris est posita. Tota ad funus eius Palaestinarum urbium turba convenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quem virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegium putabat qui non tali feminae ultimum reddidisset officium. Viduae et pauperes in exemplum Dorcadis vestes ab ea praebitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem et nutriculam se perdidisse clamabat. Quodque mirum sit, nihil pallor mutaverat faciem, sed ita dignitas quaedam et gravitas ora compleverat ut eam putares non mortuam, sed dormientem. Graeco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine per-

Her Funeral

sonabant, non solum triduo, donec subter ecclesiam et iuxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant suum funus et proprias credentibus lacrimas. Venerabilis virgo filia eius Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi a parente non poterat; deosculari oculos, haerere vultui, totum corpus amplexari, et se cum matre velle sepeliri.

IX. Testis est Iesus ne unum quidem nummum ab ea filiae derelictum, sed, ut ante iam dixi, derelictum magnum aes alienum et, quod his difficilius est, fratrum et sororum immensam multitudinem, quos sustentare arduum et abicere impium est. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimae familiae, magnis quondam opibus, tanta fide omnia dilargitam ut ad egestatem paene ultimam perveniret? Iactent alii pecunias et in corbonam Dei aera congesta, funalibusque aureis dona pendentia. Nemo plus dedit pauperibus quam quae sibi nihil reservavit. Nunc illa divitiis fruitur et his bonis, "Quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt." Nostram vicem dolemus, et invidere potius gloriae eius videbimur si voluerimus diutius flere regnantem.

Her Glory

X. Secura esto, Eustochium; magna hereditate ditata es. Pars tua Dominus; et quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotae quoque mentis servitus immaculata cotidianum martyrium est. Illa corona

Her Daughter's Inheritance

de rosis et violis plectitur, ista de liliis. Unde et in Cantico scribitur Canticorum, "Fratruelis meus candidus et rubicundus," et in pace et in bello eadem praemia vincentibus tribuens. Mater, inquam, tua audivit cum Abraham, "Exi de terra tua et de cognatione tua, et veni in terram quam ostendam tibi." Et per Ieremiam Dominum praecipientem, "Fugite de medio Babylonis, et salvate animas vestras." Et usque ad diem mortis suae non est reversa in Chaldaeam, nec ollas Aegypti et virulentias carnium desideravit, sed choris comitata virgineis civis est Salvatoris effecta, et de parvula Bethlehem caelestia regna conscendens dicit ad veram Noemi, "Populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus."

XI. Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas eodem quem tu sustines dolore dictavi. Nam quotienscumque stilum figere volui et opus exarare promissum, totiens obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit. Unde et inculta oratio votum scribentis absque ulla elegantia et verborum lepore testatur.

Jerome's Farewell

Vale, O Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva. Fides et opera tua Christo te sociant; praesens facilius quod postulas impetrabis. "Exegi monumentum aere perennius," quod nulla destruere possit vetustas. Incidi elogium sepulcro tuo, quod huic volumini subdidi, ut, quocumque noster sermo pervenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoscat.

SAINT LEO THE GREAT

THE VIRTUE OF FASTING

I. Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostrae intellegamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum ut imitator sui esset Auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendeat. Ad quam utique nos cotidie reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostrae non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus nisi nos prior ipse diligeret et tenebras ignorantiae nostrae suae veritatis luce discuteret. Quod per sanctum Isaiam Dominus praenuntians ait, "Adducam caecos in viam quam ignorabant, et semitas quas nesciebant faciam illos calcare. Faciam illis tenebras in lucem, et prava in directa. Haec verba faciam illis, et non relinquam eos." "Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos." Diligendo itaque nos Deus ad imaginem suam nos reparat, et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat dat unde ipsi quoque quod operatur operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae caritatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit diligamus. Nam si inter ho-

Man, after the Image of God

mines ea demum firma amicitia est quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum saepe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum atque nitendum est ut in nullo ab iis quae Deo sunt placita discrepemus! De quo dicit propheta, " Quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius "; quia non aliter in nobis erit dignitas divinae maiestatis nisi imitatio fuerit voluntatis.

II. Dicente itaque Domino, " Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum sicut teipsum," suscipiat fidelis anima Auctoris sui atque Rectoris immarcescibilem caritatem, totamque se etiam eius subiciat voluntati, in cuius operibus atque iudiciis nihil vacat a veritate iustitiae, nihil a miseratione clementiae. Quoniam etsi magnis quis laboribus et multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi qui se adversis vel corrigi intellegit vel probari. Caritatis vero istius pietas perfecta esse non poterit nisi diligatur et proximus. Quo nomine non ii tantum intellegendi sunt qui nobis amicitia aut propinquitate iunguntur, sed omnes prorsus homines cum quibus nobis natura communis est, sive illi hostes sint sive socii, sive liberi sive servi. Unus enim nos Conditor finxit, unus nos Creator animavit; eodem cuncti caelo et aere, iisdem fruimur diebus et noctibus; cumque alii sint boni, alii mali, alii iusti, alii iniusti, Deus tamen omnibus largitor, omnibus est benignus, sicut Lycaoniis a Paulo et Barnaba apostolis dicitur

Charity embraces all

de providentia Dei, " Qui in practeritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens eis, de caelo dans pluviam et tempora fructifera, et implens cibo et laetitia corda nostra." Dedit autem nobis maiores diligendi proximi causas Christianae gratiae latitudo, quae se per omnes partes totius orbis extendens, dum neminem despectat, docet neminem negligendum. Et merito etiam inimicos diligi, et pro persecutoribus sibi praecipit supplicari, qui ex omnibus cotidie gentibus, sacris olivae suae ramis germen inserens oleastri, de inimicis reconciliatos, de alienis adoptivos, de impiis facit iustos, " Ut omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris."

III. Cum ergo Deus bonos nos esse velit quia bonus est, nihil nobis debet de eius iudiciis displicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid est aliud quam ex quadam eum parte reprehendere? Audet enim plerumque humana insipientia adversus Creatorem suum, non solum de inopia, sed etiam de copia murmurare; ut et cum aliquid non suppetit, querela, et cum quaedam exuberant, sit ingrata. Multae messis dominus horreorum suorum plenitudinem fastidivit et ad copiam vindemiae affluentis ingemuit, nec de magnitudine fructuum gratulatus, sed de vilitate conquestus est. Si autem parcior fuerit in susceptis terra seminibus, et

God's Judgments are our Good

castigatiore proventu vites oleaeque defluxerint, accusantur anni, arguuntur elementa, et nec aeri parcitur nec caelo, cum fideles et pios discipulos veritatis nihil magis commendet et muniat quam perseverans in Deum et indefessa laudatio, dicente Apostolo, "Semper gaudete, sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Haec enim voluntas Dei est in Christo Iesu in omnibus vobis." Huius autem devotionis quemadmodum poterimus esse participes, nisi rerum varietas constantiam mentis exerceat ut amor directus in Deum nec inter secunda superbiat nec inter adversa deficiat? Quod placet Deo, placeat et nobis. De omni mensura munerum eius gaudeamus. Qui bene usus est magnis, bene utatur et modicis. Tam nobis copia quam parcitate consulitur. Nec in spiritalibus lucris angustia gravabimur fructuum si fecunditas non arescat animorum. Oriatur de cordis agro quod terra non edidit. Semper illi quod largiatur occurrit cui bene velle non deficit. Ad omnia igitur, dilectissimi, opera pietatis omnium nobis qualitas prosit annorum, nec benevolentiam Christianam difficultas temporalis impediat. Novit Dominus vasa hospitalis viduae in opus pietatis suae vacuata complere; novit aquas in vina convertere; novit de paucissimis panibus quinque milia esurientium saturare populorum. Et ille qui in pauperibus suis pascitur, quae potuit augere dando potest multiplicare sumendo.

IV. Tria vero sunt quae maxime ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium, et eleemosyna,

quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosius observandum quod apostolicis accepimus traditionibus consecratum, sicut etiam decimus hic mensis morem refert veteris instituti, ut tria illa de quibus locutus sum diligentius exsequamur. Oratione enim propitiatio Dei quaeritur, ieiunio concupiscentia carnis exstinguitur, eleemosynis peccata redimuntur; simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, si et in laudem eius semper parati et ad purificationem nostram sine cessatione solliciti, et ad sustentationem proximi indesinenter simus intenti. Haec triplex observantia omnium virtutum comprehendit effectus. Haec ad imaginem et similitudinem Dei pervenit, et a Spiritu Sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in ieiuniis innocens vita, in eleemosynis mens benigna. Quarta igitur et sexta feria ieiunemus; sabbato autem apud beatissimum apostolum Petrum vigilias celebremus, qui et orationes, et ieiunia, et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adiuvare.

A triple Observance

EULOGY ON SAINTS PETER AND PAUL

I. Omnium quidem sanctarum sollemnitatum, dilectissimi, totus mundus est particeps, et unius fidei pietas exigit ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur communibus ubique gaudiis celebretur. Verumtamen hodierna festivitas praeter illam reveren-

tiam quam toto terrarum orbe promeruit speciali et propria nostrae urbis exsultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus. Isti enim sunt viri per quos tibi Evangelium Christi, Roma, resplenduit, et quae eras magistra erroris facta es discipula veritatis. Isti sunt sancti patres tui verique pastores qui te regnis caelestibus inserendam multo melius multoque felicius condiderunt quam illi quorum studio prima moenium tuorum fundamenta locata sunt; ex quibus is qui tibi nomen dedit fraterna te caede foedavit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius praesideres religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit quam quod pax Christiana subiecit.

Rome, Mistress of Error, becomes Disciple of Truth

II. Deus namque bonus et iustus et omnipotens, qui misericordiam suam humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit, voluntariam errantium caecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiori pietate miseratus est, mittendo Verbum suum aequale sibi atque coaeternum. Quod, CARO FACTUM, ita divinam naturam

Bound by Satan, she is freed by Christ

naturae univit humanae, ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio. Ut autem huius inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina Providentia praeparavit, cuius ad eos limites incrementa perducta sunt quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedicatio generalis quos unius teneret regimen civitatis. Haec autem civitas, ignorans suae provectionis auctorem, cum paene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem quia nullam respuebat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius absoluta.

III. Nam cum duodecim apostoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc urbe non essent? Aut quae usquam gentes ignorarent quod Roma didicisset? Hic conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae

Why she is made the See of Peter

sapientiae vanitates, hic confutandus daemonum cultus, hic omnium sacrificiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum.

IV. Ad hanc ergo urbem tu, beatissime Petre apostole, venire non metuis, et consorte gloriae tuae Paulo apostolo aliarum adhuc ecclesiarum ordinationibus occupato, silvam istam frementium bestiarum et turbulentissimae profunditatis oceanum, constantior quam cum supra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphae domo expaveras sacerdotis ancillam. Numquid aut iudicio Pilati aut saevitia Iudaeorum minor erat vel in Claudio potestas vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris; nec aestimabas terrori cedendum dum horum saluti consulis quos susceperas diligendos. Hunc autem intrepidae caritatis affectum iam tunc profecto conceperas, quando professio tui amoris in Dominum trinae interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hac mentis tuae intentione quaesitum est quam ut pascendis eius quem diligeres ovibus cibum quo ipse eras opimatus impenderes.

The Fortitude and Charity of Peter and Paul

V. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, tot experimenta virtutum. Iam populos qui ex circumcisione crediderant erudieras; iam Antiochenam ecclesiam, ubi primum

Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras; iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus evangelicae praedicationis imbueras; nec aut dubius de proventu operis, aut de spatio tuae ignarus aetatis, trophaeum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis praeordinationibus anteibant et honor potestatis et gloria passionis.

Peter's previous Labors

VI. Ad quam beatus coapostolus tuus, vas electionis et specialis magister gentium, Paulus occurrens, eodem tibi consociatus est tempore, quo iam omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas sub Neronis laborabat imperio. Cuius furor, per omnium vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum usque torrentem suae praecipitavit insaniae, ut primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per sanctorum neces gratia Dei posset exstingui; quibus hoc ipsum erat maximum lucrum, ut contemptus vitae huius occiduae perceptio fieret felicitatis aeternae. " Pretiosa " est ergo " in conspectu Domini mors sanctorum eius "; nec ullo crudelitatis genere destrui potest sacramento Crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo isto praeclara divini seminis germina, in quantam subolem pullularint, beatorum milia martyrum protestantur; quae apostolicorum aemula triumphorum urbem nostram purpuratis et longe lateque rutilantibus

Rome's Diadem

populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.

VII. De quo praesidio, dilectissimi, divinitus nobis ad exemplum patientiae et confirmationem fidei praeparato, universaliter quidem in omnium sanctorum commemoratione laetandum est, sed in horum excellentia patrum merito est exsultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiae membra provexit ut eos in corpore cui caput est Christus quasi geminum constituerit lumen oculorum. De quorum meritis atque virtutibus, quae omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit aequales. Sicut autem et nos experti sumus, et nostri probavere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum apostolicis meritis erigamur; per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est cum Patre et Sancto Spiritu eadem potestas, una divinitas, in saecula saeculorum.

Our Joy

SAINT BERNARD

THE VIRTUE OF HUMILITY

I. Olim sanctus Moyses, quoniam multum praesumebat de gratia et familiaritate quam invenerat apud Deum, aspirabat ad quandam visionem magnam ita ut diceret Deo, "Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum." Accepit autem pro ea visionem longe inferiorem, ex qua tamen ad ipsam quam volebat posset aliquando pervenire. Filii quoque Zebedaei, in simplicitate cordis sui ambulantes, magnum aliquid et ipsi ausi sunt, sed ad gradum nihilominus sunt reducti per quem fuerat ascendendum. Oportet namque humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne, dum supra se attollitur, cadat a se nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima minime obtinentur, propterea qui provehendus est correptione humilatur humilitate mereatur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino argumentum gratiae propinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum scilicet et superbis resistere et humilibus dare gratiam.

God resisteth the Proud, and giveth Grace to the Humble

II. Quemadmodum enim si per ostium transeas cuius superliminare, ut ad intellegentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaveris; nocet autem si vel transversi digiti spatio plus quam ostii patitur mensura erexeris ita ut impingas et capite quassato collidaris; sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere praesumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, O homo, si unus ille quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter foedissimam horres, et propterea illum putas spernendum non modo prae te, qui forte iam sobrie et iuste et pie vivere te confidis, sed etiam prae ceteris omnibus sceleratis tamquam omnium sceleratissimum, quid scis, inquam, si melior et te et illis mutatione dexterae Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit? Et propterea non mediocrem, non vel paenultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit; sed, " Recumbe," inquit, " in novissimo loco "; ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico praeponas, sed nec comparare praesumas. En quantum malum venit de ignorantia nostri, utique peccatum diaboli et initium omnis peccati superbia.

Sit down in the lowest Place

III. Et quoniam non superbi vel arrogantes, sed humiles potius, qui de se praesumere nesciunt, marty-

rio idonei sunt, addit se etiam lilium esse convallium, id est, humilium coronam, specialem gloriam futurae exaltationis ipsorum huius eminentia floris designans. Erit namque cum " Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur "; et tunc candor ille vitae aeternae lilium plane non collium sed convallium apparebit. " Iustus germinabit sicut lilium," inquit Osee. Quis iustus nisi humilis? Denique cum se manibus Baptistae servi Dominus inclinaret, et ille expavesceret maiestatem, " Sine," inquit, " sic enim decet nos implere omnem iustitiam," consummationem profecto iustitiae in humilitatis perfectione constituens. Iustus ergo humilis, iustus convallis est. Et si humiles inventi fuerimus, germinabimus et nos sicut lilium et florebimus in aeternum ante Dominum.

The Lily of the Valley

IV. Nunc adverte verecundiam, qua nescio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat. Hanc primo omnium libet quodam modo in manibus sumere, et quasi speciosum quendam florem decerpere loco nostrisque apponere adulescentibus. Non quia non sit et in provectiori aetate omni studio retinenda, quae est certe omnium ornatus aetatum, sed quod tenerae gratia verecundiae in teneriori aetate amplius pulchriusque eniteat. Quid amabilius verecundo adulescente? Quam pulchra haec et quam splendida gemma morum in vita et vultu adulescentis! Quam vera et minime dubia bonae nuntia spei bonae indolis index! Virga disciplinae est

The Modesty of Youth

illi quae pudendis affectibus imminens lubricae aetatis motus actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii et omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiae est. Nullum aeque manifestum indicium columbinae simplicitatis, et ideo etiam testis innocentiae. Lampas est pudicae mentis iugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet quod non illa ilico prodat. Ita expunctrix malorum et propugnatrix puritatis innatae specialis gloria conscientiae est, famae custos, vitae decus, virtutis sedes, virtutum primitiae, naturae laus, et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiae et decoris suffuso afferre vultui solet?

V. "Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias." O candens lilium! O tener et delicate flos!

A Lily among Thorns

Increduli et subversores sunt tecum; vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his et minime laedi, divinae potentiae est, non virtutis tuae. Sed, "Confidite," inquit, "quia ego vici mundum." Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum tamquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum neque formidet, sciens "quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit." Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent et nitent. Si faenum quod hodie est et cras in clibanum mittitur Deus sic custodit, quanto magis

amicam et sponsam suam carissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se. "Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias." Non mediocris titulus profecto virtutis inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiae retinere candorem et morum lenitatem; magis autem si his qui oderunt pacem pacificum et amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinem datam de lilio iure quodam proprietatis specialiter vindicabit quod ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare et venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodam modo Evangelii perfectionem, qua orare iubemur pro calumniantibus et persequentibus nos, benefacere his qui oderunt nos? Ergo et tu fac similiter, et erit anima tua amica Domini, et laudabit te, de te dicens quia "Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias."

VI. Tria sunt loca quae mortuorum animae pro diversis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, caelum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in caelo perfecti. Qui in inferno sunt redimi non possunt, quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt exspectant redemptionem, prius cruciandi, aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius gravitate doloris. Qui in caelo sunt gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, coheredes in gloria, similes in aeternitate iucunda. Quia igitur primi redimi non merentur, tertii redemptione non indigent, restat ut ad medios

Three Regions of Souls

transeamus per compassionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem.

VII. Vadam in istam regionem, et videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem ut iam non sint vasa irae apta in interitum, sed vasa misericordiae praeparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, ut si forte videat Dominus et iudicet, laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim et huiusmodi officiis potest eorum paenitentia resecari, finiri labor, destrui poena. Percurre ergo, quaecumque es fidelis anima, regionem expiationis, et vide quid in ea fiat; et in nundinis istis fac sarcinam tuam affectum compatiendi.

Purgatory

VIII. Secunda regio est regio gehennalis. O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda! Terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! Locus letifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fetor intolerabilis, mallei percutientes, tenebrae palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles daemonum facies! Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea.

Hell

Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; modo subter te sternitur tinea, et operimentum tuum vermis. O Deus, quanta distantia inter operimentum pretiosi lapidis et operimentum vermis, inter delicias paradisi et tineam corrodentem inferni! Scio quia paratus est ille ignis diabolo et angelis eius, et hominibus similibus eius, ubi sine fine finientur, sine morte morientur, torquebuntur sine cessatione. Vivens igitur in infernum descende; percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge scelera et vitia, pro quibus scelerati homines et vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem, et dilige legem Domini, et in tam formidolosis nundinis fac sarcinam tuam odium peccati.

IX. Tertia regio est paradisus supercaelestis. O beata regio supernarum virtutum, ubi beata Trinitas a beatis facie ad faciem videtur, ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu, "Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth," clamare non cessant! Locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur iusti; locus splendoris, ubi iusti fulgent sicut splendor firmamenti; locus laetitiae, ubi laetitia sempiterna super capita eorum; locus abundantiae, ubi nihil deest videntibus eum; locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis; locus pacis, ubi in pace factus est locus eius; locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera eius; locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria eius; locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum, de

Heaven

valle lacrimarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est, talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, laetitiam creaturae. Curre igitur, spiritualis anima, oculis desideriorum per regionem istam, et vide Regem gloriae in decore suo gloriosum, stipatum legionibus angelorum, sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem daemones, homines redimentem, et dic, "Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te." Cum ergo mente perceperis tam pretiosas nundinas, mercimonia tam praeclara, construe sarcinam tuam amorem Dei. Vidisti regiones, animadvertisti nundinas, sarcinam construxisti, et beatus es. Negotiare ergo dum veniat Dominus Deus tuus ut ei dicere possis, "Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum"; et audire merearis, "Intra in gaudium Domini tui," sponsi Ecclesiae, qui est benedictus in saecula.

X. Quattuor sunt genera hominum regnum caelorum possidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Rapiunt qui dereliquerunt omnia et sequuntur Christum, de quibus dicitur, "Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum." Sunt alii inferioris

Four Kinds of Men possessing the Kingdom of Heaven

gradus, a quibus metuntur carnalia, dum eis spiritualia seminantur; et his loquitur in Evangelio Dominus, " Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula." Tales dicuntur mercatores, quia dant in praesenti pauperibus temporalia quae possident, ut in futuro recipiant ab eis aeterna, quae non nisi per eos habere merentur. Necesse est enim omnes qui in futuro iudicio examinandi sunt vel esse Iudicis amicos vel apud Iudicem intercessores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locum qui intercedunt; habent hi pro quibus intercedunt secundum. Sunt alii qui nonnulla bona occulte faciunt, pro quibus merentur regnum caelorum; sed tamen furari illud dicuntur, quia laudem humanam vitantes solo divino testimonio contenti sunt. Horum figuram tenuit mulier in Evangelio quae fluxum sanguinis patiens cogitavit intra se, dicens, " Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salva ero." Quo dicto accessit occulte et tetigit, et salva facta est. Alii sunt qui compelluntur: verbi gratia ut pauperes necessarii, quos scilicet hic ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis iudicii puniat. De quibus scriptum est, " Compelle intrare, ut impleatur domus mea." Compelluntur multi variis necessitatibus et oppressionibus afflicti, qui mira Dei providentia, dum temporalem poenam, si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur aeternam.

